



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 110. Hussus ad rogam deductus, & combustus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV.
A.C. 1415.

§. CX.

Hussus ad rogam deductus, & combustus.

Reichental
p. 206.

PERACTA degradatione, Imperator Electori Palatino negotium dedit, comprehenderet Hussum, eumque iudicum manibus consignaret. Ergo Constantiensi Magistratui traditur, a quo unacum vestibus, cunctisque, quæ secum ferebat, ad rogam damnatur; Lictores urbis lata sententia illico eumprehendunt, atque ad locum supplicii per plateam Episcopalis palatii deducunt, eo consilio, ut ipse suos libros comburi conspiceret. Transiens populum alloquitur, affirmans, se non propter hæresin, sed per inimicorum fraudes ad supplicium rapi. In egressu identidem Psalmos recitare, & nomen JESU invocare audiebatur, semper invictum animum, atque ementitæ pietatis speciem præseferens: cumque sacræ poenitentiae administrum postularet, accurrit quidam Sacerdos, nomine Udalricus Schorand, scientiæ ac probitatis fama clarus; quoniam vero hic Hussio declarabat, illum a se criminum vinculis exsolvi haud posse, nisi prius errores, ob quos damnatus esset, revocaret, respondit Hussus: non opus est mihi confessione, nullius enim peccati gravis me reum

reum agnosco. Postea, ubi ad populum verba facere parabat, Palatinus Elector carnificem monuit, sententiam exequeretur.

Sæcul. XV.
A.C.1415.

Ergo ad palum hunc in finem terræ infixum alligatur, vultu ad occasum verso, circumcirca disponuntur ligna ad comburendum; antequam vero subderetur ignis, Elector Palatinus necnon Comes de Oppenheim Imperii Marescallus Hussum adeunt, illumque denuo hortantur, ut errores suos revocaret, vitæ suæ consulturus. Ast cum ille a sua hæresi nullius persuasus, atque precibus dimoveri posset, quin imo se sanguine suo doctrinam, & scripta confirmaturum declararet, Elector ab eo discessit. Tunc lictores accendunt ligna, & densus flammarum turbo, venti impetu in faciem Hussi impulsus, os obduravit, animamque extrusit. Cineres ejus sollicite collecti, in Rhenum projecti sunt, ne discipuli, ejusque sectatores, velut reliquias illos in Bohemiam transferrent. Atque Æneas Sylvius ait: Hussitas ex eo solo terram abstulisse, in quo ignis fuit, eamque velut rem sacram secum attulisse in Patriam. Idem Auctor subjungit: Nemo Philosophorum tam forti animo mortem per tulisse traditur, quam iste Hæresiarcha incendium.

Æn. Sylv.
hist. Boh.
c.36. p.75.